DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

APOPLEXIA SANGUINEA

COMPLECTENS.

PATRICIO TRAVERS AUCTORE.

HISTORIA.

APOPLEXIA a Culleno sic definitur: "Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum sopore plus minus profundo, superstite motu cordis et arteriarum"—et species, de qua in animo est disserere, "Apoplexia cum signis plethorae universalis et praecipuè capitis."

De apoplexiâ idiopathica solum haec dicere volo; quod attinet ad apoplexiam cranii fracturis aliave vi externâ, venenorum devoratione, gasium vel vaporum lethalium inhalatione inductam, aut apoplexiam e hydrothorace vel statu totius corporis hydropico orientem, non hic locus est agendi: nam etsi his symptomata fere eadem sint, tamen quaedam eorum rationem medendi longe aliam luculenter postulant.

Ad impetus hujus morbi sexus uterque opportunus est; infantes raro affligit apoplexia, sed saepius aetate provectos, ac praecipue post annum sexagesimum.

Hicce morbus interdum subito saepius lente adoritur, istis praegredientibus signis, gravedine, aurium tinnitu, vertigine, haemorrhagiâ e naribus, dolore vehemente temporum, caligine oculorum, fugaci caecitate, specie flammularum vel macularum nigrarum vel guttularum ardentium ante oculos volitantium, visu duplici, strabismo, aliquâ auditûs interruptione momentariâ, vitio auditûs aliquo, fugaci cogitationis perturbatione, mente gradatim marcente, linguae vitiis, levi vomitu, aliquo torporis gradu, vel motûs imminuti in extremis corporis partibus, frequentibus incubi ingressibus.

Singula aut plura horum apoplexiae paroxysmum denuntiare possunt, non solum per menses, sed etiam annos priusquam is revera invadit; tamen saepius ingravescunt, donec apoplectici quasi subito ictu prostrati corruunt, voluntarii motûs expertes; facies ruberrima aut livida et nonnihil tumefacta, venae capitis, praecipue oculorum, temporum et colli perquam turgidae, et diruptu promptae videntur, arteriae carotides et temporales vehementissimè micant, frons ardet, palpebrae patulae rigescunt, pupillae

fixae luce non coarctantur; observantur quoque oculi fixi et horribiliter protrusi, necnon respiratio lenta, stertens et laboriosa et similia luctaminis interni signa. Arteriarum pulsus extemplo post ictum velocissimi, usque ad centum et viginti reperiuntur, sed generaliter admodum tardi, praesertim post jacturam sanguinis e venaesectione evadunt.

Quandoque per totum corpus deficiunt sensus ac motus; interdum in uno alterove latere, et sic latus quod minus afficitur convulsionibus affectum.

Interdum urina et stercus invitè dejiciuntur, in casibus quibusdam levis vomitus, in aliis depravatur devorandi facultas; prorumpit sudor, extremae corporis partes frigescunt, sibi vultus speciem cadaverosam assumit, et mors serius ocyusve aegrum infelicem rapit. Interdum vero renascitur integerrima valetudo, quam modò sudor aut alvi fluxus, modò cursus sanguinis e venis imi intestini aut aliundè suâ sponte molitur. Nec vero finitis malis, et sanitate, uti videtur, reduce, non superest metus; nosse enim juvat, quanto aliquem frequentius jam propositus morbus percusserit, tanto faciliùs, tantoque levioribus noxis illatis, eundem novari; tantoque incitatiorem acerbioremque saevire, in hemiplegiam exitiosam serius ocyusve abiturum.

CADAVERUM INSPECTIO.

Divisione pericranii magnum sanguinis profluvium ex vasis occipitalibus frontalibusque sæpe sequitur; cranio sublato, dura mater cum sanguine fluente ex ejusdem sinubus ferè semper videtur, cum majore minoreve plenitudine vasorum sanguinem vehentium. Sanguis saepius coagulatus in cerebri substantiam, in ventriculos ejus, etiamque superficiem, et interdum in canalem spinalem, vel in cerebelli substantiam plerumque reperitur effusus. Extravasatio vero fere posita est in portione medullosâ hemispherii unius et saepè juxta ventriculos laterales, ita ut sanguinis quantitas in unam vel ambas horum cavitatum eodem tempore eruperit.

Quandoque verò, inquit illustris Sauvages, nullum est vitium conspicuum nec in cerebro nec in cerebello.

Putat Morgagni pericardium semper praeter solitum quantitatem liquoris in hoc morbo continere.

In apoplexiae incisionibus, ait Cheyne, saepe invenimus jecur valde morbosum.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Labes haereditaria, conformatio corporis peculiaris apud has ordinem primarium occupare haud immerito recensetur.

Qui magno capite, collo brevi, et turgido ac rubro vultu praediti sunt imprimis apoplexiae maximè proclives; sed haud ita paucis exemplis satis probatum est homines proceros et graciles et longis collis etiam praeditos hoc morbo etiam correptos esse.

Plethora in vasis capitis, quâcunque causâ inducta ad apoplexiae impetum caput magis opportunum reddendo, eademque datur proclivitas senectute, ad gradus omnes hujus morbi. Haud raro evenit in aetate provectâ materiae osseae terreaeve in arteriis cerebri depositio, quae minuendo vim contrahendi, distendendi, ac tenendi, ad illas rumpendas opportuniores facit, ex congestione vel impulsu subito sanguinis ad caput. Tunc quoque, (in aetate provectâ,) major sanguinis copia pro ratâ parte, venis quam arteriis continetur, quamobrem, si plus justo sanguinis in corpore fuerit, plethora aliaque mala inde orientia hac aetate in venis praecipue cerebri sese maxime manifestabunt.

Obesitas certè corpus maxime propensum ad apoplexiam praebet, aut quia talia corpora haberi possunt plena sanguinis, vel eâ compressione omnium vasorum sanguinem vehentium, in caeteris partibus corporis inductâ, illa promptius cerebri explet.

Temperamentum sanguineum et leucophlegmaticum, inertia, victus lautus, usus ardentium liquorum et nicotianae tabaci, mentis anxietas, suppressio aut cessatio haemorhoidalis fluxûs, vel alicujus haemorrhagiae profluvii soliti, inter causas praedisponentes sunt. Alvus adstricta corpus obnoxium facit plethoram inducendo universam, et studium intensum etiamque somnus diuturnus capitis plethoram.

CAUSAE EXCITANTES

Sunt omnes quae cerebrum adeò comprimunt, ut vis nervosae impulsum ad cerebrum transeuntis ac redeuntis impediunt.

Causa compressionis sit sanguis accumulatus in vasis sanguiferis intra cranium, vel effusus in varias cerebri partes, vel cranii cavitatem et pressuram producens.

Quodcunque corpus implet; quodcunque auget sanguinis cursum et vehementiam in arteriis capitis;

quodcunque ejusdem reditum liberum a capite ad ventriculum dextrum impedit, nimium distentionis effusionemque producere possit.

A. Insigniter corpus implent et ita apoplexiae favent satietas, ignavia, secernenda et excernenda suppressa, ulcus sanescens, et exinanitio aliqua quae diu perstiterit ex improviso quiescens.

B. Alter effectus vehementi exercitatione inducitur, quâ venae et arteriae tantopere premuntur, ut sanguis majore quantitate et violentiâ ad caput impelleretur; nimiâ indulgentiâ liquorum ardentium; gravibus animi affectionibus; externo calore; victu nimiâ copiâ assumpto. Cutis repente ex erysipelate deflorescens, arthritis retrocedens et alia quaedam quae humores ad caput aut intus impellunt, huc referri posse videntur.

Subita circuitûs sanguinis deproperatio quae a celeberrimo Culleno nixus haemorrhagicus appellatur haud raro causa apoplexiae praecipua vel sola proculdubio videtur. Hic nixus nulla irritatione vel causâ evidente inductus, derivationem sanguinis ad aliquem corporis partem, cujus vasa, vel a fabricâ congenitâ pravâ resistere nequeant, excitare solet. Nixus istiusmodi omnibus haemorhagiis communis necnon apoplexiae, quae a Hoffmanno haemorrhagia cerebri merito appellatur. Nixum haemorrhagicum in pa-

roxysmo apoplexiae ordinario semper adesse, a pulsibus ante sanguinis missionem validis et crebris certiores fimus; et revera ictui antecessisse planè videtur, sed tunc semper apprimè notatu difficilis erit, quippe quia auxilium medici raro prius quaeritur quam morbus in victimam suam jam irruerit.

C. Istae causae sanguinis reditum a capite ad cordis dextrum ventriculum impediunt.

1. Pronus situs capitis diuturnus, in quo sanguinis gravitas auget impetum ejus arteriis, et reditui sanguinis venosi libero non tantum oppugnat, sed etiam ejus velocitatem ad caput accelerat, et, si aegrotus non extemplo dejiciatur, de ictûs accessu haemorrhagiâ e naribus interdum admonetur.

2. Ulla obstructio venarum sanguinem vehentium a capite ad dextrum ventriculum, qualis est nimis arcta circa collum ligatura, quae venas multo magis quam arterias comprimit.

3. Quicquid libero sanguinis per pulmones circuitui obstat: ad finem omnis expirationis reditus sanguinis ex capite non tam facilis est, quia collapsus pulmonum status objiciens per eos libero sanguinis meatui, congestionis ejusdem favet in dextris cordis cavitatibus, quae ad venam superiorem cavam, venasque jugulares internas, &c. tenduntur. Inspiratio diu retenta talem obstructionem efficit, ut non solum

vultûs ruborem ac plenitudinem vasorum omnium capitis et colli excitet, sed periculosam sanguinis accumulationem in cerebri vasis ac etiam rupturam. Omnes validi musculorum nixus inspirationem longam ac continuatam desiderant et hinc causae apoplexiae excitantes. Ventriculus cibo repletus diaphragmatis descensum, ideoque dilatationem pulmonum idoneam, haud parum impedire videtur. Nec aliter nocent asthma, pertussis, aneurisma cordis aut arteriae magnae ubi se arcuat, valvaeve in naturam osseam conversae; haec scilicet vitia sanguinem per cordis atria et pulmonem profluentem tardant.

DIAGNOSIS.

Tantum inter Epilepsiam vel Hysteriam atque hunc morbum interest discrimen, ut vix opus esse videtur multa de hoc dicere.

In Epilepsia convulsiones generales plerumque accidunt et aeger spumat ore; praettereà aura epileptica nonnunquam paroxysmo antecedit.

In Hysteriâ motus abnormes spasmis in apoplexiâ longè absimiles, urinae limpidae fluxus, suspiratio, sensus globi, aetas ferè semper, et alia minoris momenti, judicium satis clarè dirigent.

Cum ebrietate faciliùs confundi potest, vinum vero sensus minùs hebetat quam apoplexia; lux enim ebrio pupillam coarctat et irritamenta quae apoplecticus minimè sentit ebrium suscitabunt. Huc accedit anima liquorem qui ebrietatem intulerit olens. Nec semper vino obrutus stertit.

Ex vultûs pallore, necnon respirationis et pulsûs feriatione, Syncopen ab hoc morbo luculenter dignoscere poterimus.

PROGNOSIS.

Ad familiae historiam, aegri temperamentum, corporis conformationem, aetatem, et vitae genus quod degere solebat, sedulò respicere debemus; sicuti inter res hujusmodi et prognosin nexus intercedebat arctissimus. Primus apoplexiae impetus haud toties lethalis, sed secundus multò periculosior, ictusque tertius faci vitae rarissimè pepercit.

Cum respiratio multum afficitur, stridor est dentium, spuma circum os collecta, pupilla oculi, luce admotâ, sese contrahere desinit, sphincteres musculi resolvuntur, accessio febris levis, sudores gelidi, artus inferiores frigidi, vix spes ulla aegroto superest. Si malum remediis nostris parere incipiat, quod se mo-

tûs et sensuum reditu compertum habebit; si haemorrhagiae e naribus aut aliquâ corporis parte, vel diarrhoea, sudoresve profusi adsint, nobis prognosin magis beatam deducere licet.

DE MEDENDI RATIONE.

Methodus medendi tribus capitibus complectitur, scilicet, paroxysmum praesentem pacare, et stuporem dirimere; sequelas paralyticas summovere; et denique aegrum contra ictus futuros tentamine omnigeno munire.

Quum jam aliquem apoplexia corrupuerit statim medici est omnes noxas quae signa exasperint, si fieri potest, tollere; scilicet, caput aegrotantis erigendum, cervices monilibus et quâvis veste, quae venas ibi positas opprimat, expediendae sunt et conclave perflatum accipere debebit. His peractis, sanguis mittendus est, et, in omnibus casibus, ubi habitûs plethorici signa paroxysmum praegressa sint, is eliciendus est abunde citoque ex brachio, aut arteriâ temporali, cum ramus satis magnus detegi potest. Operatio venam jugularem scindendi commendata est a quibusdam auctoribus, sed ex periculo quod ligaturam comitatur applicatam ad haemorrhagiam repri-

mendam eâ non uti debemus. Summi quoque est momenti venas ipsius partis exonerare hirudinibus aut cucurbitulis cum ferro impositis.

Si facultas vorandi superest integra aut certè parum labefactatur, alvus protinus medicamento acriori ingesto solicitari debebit : at cavendum ne ventriculus mole gravetur ; quem in finem pauxillum saepius assumendum potius quàm unâ vice modus amplissimus. Si quidem intestina non minùs quàm caeterae partes corporis torpent alvus non nisi acrioribus et largiori manu datis expurgari poterit. Si autem aeger devorandi impotens medicamina potare nequeat, alvus solitis erit liquoribus ducenda. Ampla vesicatoria pariter capiti colloque affigi debent, et obbae aquâ calidâ repletae, vel lateres calidi pedibus.

Cum apoplexia paulò post plenam ciborum refectionem haud raro erumpat, admodum necessarium est ventriculum quam primum inanire ; emetica autem quamvis a nonnullis praescripta, clinicus cautus et solers penitus repudiabit, namque vomitionis nixus impetum sanguinis necessariè versus cerebrum impellit. Siquando nausea et vomitus signa cerebri compressi haud insolita exoriantur, potum diluentem exhibere fas est, quo faciliùs ventriculus ab onere pessimo liberetur, vomitusque sponte sistat.

His rebus frustrà adhibitis, sensus penè extinctos

nonnunquam revocare valeamus, vim aquae frigidissimae super aegri caput et humeros subitò jaciendo. Quod si hujusmodi affusionem non commodè adhibere possimus, juvabit caput rasum aquâ gelidâ, solutione muriatis ammoniae, vel similibus, subindè lavare.

Paroxysmo igitur feliciter subacto, ad paralysin summovendam mox animum versemus. Imprimis nostrum est humoris effusi absorptionem promovere, stimulisque membro soluto admotis id excitare. Consilio absorptionis promovendae cucurbitulae cruentae et vesicatoria capiti imponimus, et partem ope cerati sabinae exulceramus; fonticulus nuchae insertus muneribus iisdem fungitur; porro, congestioni intra caput abnormi praeclare obstat. Quod attinet ad usum stimulorum partibus resolutis admotorum, praecautum est ne remedia nimis valida sint et sanguinem caput versus iterum derivent. Balneum pluviosum et praecipuè exercitatio contra paralysin omnium praestantissima et fide dignissima sunt. Porro haud parum proderit aegrum admonere ut conatus frequentes ad membra sua movenda faciat.

Sub indicatione ultimâ consilia momenti erga aegrum gravissimi complectuntur. Victus e mediâ tenuive materiâ confectus praestat; scilicet e lacte

et frugibus praecipuéque omnigeno farre; carnes assae, frictae vel elixae nocebunt, certéve parcissimè ingerendae; caena ampla vitanda. Potus meraci exitiosissimae erunt; optimi sunt liquores diluti qui sitim arceant nec ardores accendant aut ventriculum praegravent.

Consilio suprà dicto fonticulum in nuchâ aperire utile erit; alvi purgatio haud minus necessaria est. Causas omnes, cum praedisponentes tum excitantes et quicquid demum quocunque modo congestionibus intra caput et derivationibus sanguinis abnormibus favere possit, maximâ curâ et diligentiâ evitare debet.

Simul ac dolor capitis, torpor membrorum aliave ictûs propinqui symptomata sese ostenderent, est medici acre remedium purgans statim exhibere, et sanguinem aut e brachio aut temporibus mittere; sic paroxysmum imminentem plerumque avertere poterimus.

FINIS.